

Gamelbd.

010

de,

DE
LATINA LINGVA
JUSTO DIUTIUS
DISCENDA
QUERELAM
EXAMINAT

ET
AD ORATIONES JUVENILES
D. XXI. APRILIS
A. O. R. 10CCXXXVIII
PERBENEVOLE AUDIENDAS
INVITAT
MICH. HEINR. REINHARDUS
LYCEI RECTOR

TORGAVIAE
LITERIS PETERSELLIANIS

LATINIA LINGUA
IUSTITIA DUTIS
DISCENDA
MAGISTER
TANIMAXE

AD ORATIONIS IUNTIUS
DISCIPLINA
MAGISTER
PENITENTIA
MICHAELIS
SCHMIDT



Sæpe, imo sæpius quam vellem, fastidiosas hominum audio querelas, qui Latinæ lingua studium magnam eamque optimam atatis humanæ partem auferre, nunquam satis possunt mirari, id vero dolere maxime atque eapropter, vel doctorum inertiam, vel falem perversam docendi rationem, invidiose accusare. Si qui eorum sibi videntur eleganter, illi fere ad Gallicæ lingua provocant exemplum, quam vix biennii decursu, sine multo labore aut molestia, cum tamen illa & splendidissima & suavissima sit, facile didicerint ipsi, idque etiam a feminis. Quodsi vero verberum & plagarum recordantur, quæ forte suum lingua Latinæ studium comitata sunt, tunc demum, rædiosissima illa memoria concitati atque extra se rapti, quid primo quidve secundo loco prius damment, ipsi nesciunt. Hanc igitur lingua pulcherrimæ accusationem ut jam examinare suscipiam, eo adducor libentius, quod, de optimarum literarum dignitate, dicendi facultatem mihi hæratione simul dari, intelligo, cujus rei consideratione me plurimum affici & deleclari, fareor. Etsi autem cause quam plurimæ eæque justissimæ, quæ lingua Latinæ studium morantur, partim a doctorum inertia & pigritia, partim a juvenilium ingeniorum tarditate & desidia & exoriuntur & repeti solent; neque illud negandum, quod ineptissimam docendi viam sequantur multi: tamen illa ulceræ tangere jam nolim, cum & ita sint in promtu, ut omnibus patiant, & disputatione diligent, potius exagitar & exacerbari, quam sanari animadvertissem. Sed quoniam ramen lingua hujus magistri & sibi & fueront interdum, doctissimi, peritissimi, addo etiam, diligentissimi; atque idem non raro ejus generis discipulos consecuti sunt, quibus neque ingenium neque discendi voluntas deesset: reliquum est, ut ipsam Latinitatis scientiam in culpa esse adjudicemus, cùm ne sic quidem, ubi omnia præsidia & commoditates ad-

sunt, satis celeres in hac lingua profectus fieri videmus. Deinde vero si demonstravero, tam multa tamque necessaria Latinæ linguae descendæ nunc adjungi & admisceri oportere, ut vix decimam partem temporis, quod doctrinæ conceditur, eidem relinquì appareat: quis tandem erit tam durus tamque iniquus iudex, qui humanitatis studia propter culpam alienam velit condemnare? De his igitur duabus Latinitatis serius descendæ causis, de ipsis maxima difficultate deque amplissimo studiorum scholasticorum ambitu quare jam non dicam libenter, cum intelligam, hac via facillima me & a doctoribus & discipulis gratiam aliquam inire posse, si ostendero, parvos in hoc studio progresus, sèpe non illorum culpæ, sed potius aliis causis omnibus tribuendos esse? Quia autem, accusatores nostros Latinae linguae appellationem, reperio, cum humanitatis studiis confundere & commiscere, eodem cum iis jure mihi agere licebit, ut, quando querunt de lingua Latina, ego respondeam illis de literis humanioribus, siquidem omnis omnino questio rament est de iis studiis, quæ in literarum ludis tractantur, & omnem nostram diligentiam, quam in optimis Romanorum autoribus colloca-mus, ad unam solamque horum linguam referre solent. Primum itaque, de literarum Latinarum dignitate & amplitudine acturus, existimo ipsam Latinam linguam per se satis magnam diligentiam requirere atque sibi depositare. Lingue enim, quo magis inter se differunt, eo sa-ne difficilius discuntur. Id quod quemadmodum de unaquaque lingua recte dicitur: ita illos linguae Gallice præcones satis nequeo mirari, qui ejus facilitatem adeo verbose celebrant nobisque prædicant. Eninve-ro aut me stupidum ingenium meum, qui Gallorum linguam jam per quatuor lustra didici & parum adhuc profeci, aut illorum temeritatem & impudentiam accusare oportet, qui citius Galli, quam futores aut satores, fieri posse, sibi confidenter nimis videntur. Verum enim vero sicuti ego triennio post, quam Gallicam linguam attigeram, commilito-num quorundam precibus repente illius linguae factus sum magister & doctor, nec sine omni, uti præ se ferebant, laude & utilitate: ita illi lin-guarum helluones, scientia sua confidencia inducti, nimis liberaliter de se solent commemorare, qui lingua elementa, & ejusdem vim pro-priam, naturam atque genium, minus recte dividunt & inter se distin-guunt. Namque ut sciant, me non nimis multa de me polliceri, na-

dus

Etus sum aliquando discipulum, & ingenii solerti & multæ diligentia, qui me doctore, cum antea nihil vel Latine vel Gallice didicisset & tamen duodeviginti annorum esset, incredibili discendi cupiditate perfecit, ut, a me discedens post biennium, Latina & intelligeret & nonnihil loqueretur, Gallica autem lingua facultatem, studio ejus paulisper continuato, eam acquireret, ut ejus doctrinam paulo post profiteri auderer, & adhuc in academia quadam profiteatur. Tantum interest inter linguæ alicujus initia, & inter ejusdem elegantiam, naturam & intimam scientiam! Atque si darem, Gallicam linguam citius addisci posse; tamen hæc ipsa foret injuria in linguam Latinam, si arroganter se efferrer, cum & ab hujus similitudine plurimum juveatur & ab eadem artis Grammaticæ vocabula soleat repeterre, quorum cognitionem in omni lingua discendi perquam utilem esse, quis neget? Taceo, quod numerent annos magis quam ponderent, qui Latinæ lingua impendantur, cum tamen constet, primam ætatem nostram ad illam traduci solere, non tam, ut multum proficiamus, quam potius, ne male, aut saltem nihil discamus agere. Sed a lingua Latinæ institutione discedentes, jam proprius accedamus ad humanitatis studia, quæ tamen cum illa utiliter conjunguntur, & ipsa hac societate sua cum lingua præceptis ab imperitis hominibus solent confundi. Loquor autem de scholis publicis, non quales sunt plerumque, sed esse debebant. Nonne enim apparet, autores Latinos sive enarrandos & explicandos esse, ut & juvenum ingenia acuantur & utilissimarum rerum augeantur cognitione? Memini doctorem aliquem academicum, virum bonum, sed in libris scribendis, aut potius fundendis, nimis diligenter, cum Dialecticæ scriberet præcepta, Latinam linguam commendare, tanquam efficacissimum ad judicandi facultatem augendam præsidium. Sed profecto literis politioribus tribuere volebat, quod ad linguam Romanam inconsiderate transferebat sermonem. Ita enim demum Latinitas salutarier a) docetur, si, una cum Romanorum sermone, elegantissima ipsorum propagantur scientia. Quis nescit, quam accurata opus sit antiquitatis Romanæ omnis notitia

a) Humanitatis studia non solum in licendo eloquenter sed etiam in salubriter do-
cendo fuit occupata &c. ait acerrimus humanitatis propugnator Herm. Eufchius
in human. Vallo p. 39. ab elegantissimo Jac. Burckhardo edito, & ibidem ampli-
fimas horum studiorum utilitates latius explicat.

ad scriptorum illorum intelligentiam? An id parum est, historiam & Romanam & antiquorem omnem una cum virtusta Geographia & Genealogia ab autoribus Latinis recte imo optime peti solere & posse? Quando vero in poetis versamur interpretandis, quam pulchra est quam jucunda fabularum cognitio? quam vero suave quamque utile est, in perfectissimis omnis aevi exemplis intelligere veram, eamque maximum, poeseos vim & naturam? nolo multus esse in commemorandis iis, qua spectant ad historiam literatam, juris civilis, aut etiam medicinae aliasque scientias, quarum pulcherrima vestigia in Cicerone, Pomponio ipsisque Romanorum legibus sparsim notatis, Celso & Plinio priore reperiri, quis unquam dubitavit? Ipsam vite prudentiam & morum praecpta vel a solo Cicerone & uberrime & elegantissime tradita esse, nemo unquam facile negavit, nisi eundem, aut parum legisse, aut parum intelligere una fateatur? b) Quodsi vero contendis, me infidiosam disputandi instituere rationem, siquidem hac via omnes scientiae, de quibus scriplerint Romani, ad humanitatis studia possint referri: ego contra abs te velim discere, quemadmodum ab illis autoribus veram justaque Latini sermonis notitiam petere possum, nisi eorum intelligas orationem. An vero, eorum verba & dicendi rationem te tenere posse, arbitraris, licet, quid dicant quidve doceant, parum cures aut perspicias? Vide quid dicas, & utrum id, quod dicis, ipse intelligas. Quodsi autem optimis

b) Scimus, quam difficulter ad Grammaticae rudimenta compellantur adolescentes, propterea quod, ut vere Fabius dixit, plus habent operis quam ostentationis. Neque obscurum est, quam harum artium cognitio necessaria sit ad quodcumque omnino genus doctrinae adipicantibus; Et quam non infelicitate modo sed & turpiter superiores disciplinas trahent, qui hacten fundamenta neglexerunt. Quid enim in quacunque alia disciplina efficiet, qui sermonis vim ac proprietatem ignorabit? Quomodo illi scripti alicuius sententiam venabunt, cum verba & eorum structuram non intelligent? Quam prodigiosa somnia singet, cum ita, ceu via lapsus, orationis sensu defititus, sententiam velut in tenebris palpans prehensibat? Rebus quoque eum defititi necessis est, quem oratio & verba, quibus res sunt involuta ac prodicta, defitivunt. Recte igitur Grammatica nutricula dicitur omnium artium ac disciplinarum & illi exteris hunc honorem & gratiam nutrificationis liberant tribuant. Sumunt enim ab ea unaquilibet certum orationis genus & arcet ac repellunt a se eos discipulos, qui Grammaticae ubera prius non suxerunt. Philippus Melanchthon T.I. Declam. p. 117.

optimorum autorum oratio exponi nequit, nisi res ipsas, quas oratione perfsequuntur, callemus; equis tandem erit, qui humanitatis doctrinibus pulcherrimarum doctrinarum possessionem abjudicare, imperite audeat? Etiam si vero præclare & nonnullis forte ambitiosius de humanitatis literis videar docere: tamen multo majorem præstantioremque judico alteram esse utilitatem, quam ab illo studiorum genere jure expectari posse, ostendam. Quia enim autores Latini, qui juventuti traduntur, & sapientissimi, & rerum gerendarum peritis simi fuissent, merito existimantur; Romana autem gens præclarissimis virtutis abundant exemplis: sāne & virtutis doctrinam & splendidissima simulacula hic juvenum animis proponi & insinuari patet. Quod usque adeo verum est, ut harum literarum doctores c) summam sibi fieri injuriam conquerantur, si qui existant, qui hanc laudem sibi velint denegare. Cum enim & Perse d) & Sparani e) eam egerint liberorum suorum curam, ut horum animos & doctrina perpetua & ipso vita usū ad virtutis studium traducerent: nonne illis infeliciores forent Christianorum pueri, qui in lingue Latinæ studio continerentur maximamque juventutis suæ partem consumerent, nisi perpetuae commonefactiones de virtute cum lingue doctrina conjungerentur. Præterquam vero quod boni Latinitatis autores optimis virtutis abundante & præceptis & exemplis: tota quoque eorum oratio ita conformata est, ut minime honestatis animum sensim & inopinato lectorum mentibus inspiraret. Ciceronis linguam fere omnes mirantur, præclare inquit Augustinus, f) peccus non ita. Atqui, quale tandem est illud peccatum Ciceronianum, quod in ejus oratione tam obscurè latet, patetque paucissimis? Certe non doctrina Ciceronis, quæ nec ita ipsius propria est,

c) Vide omnino, quam graviter Joach. Camerarius eos reprehendat, qui industriis literarum cultoribus velut errorem proprobrent, quod statuerint, ut rarum studium virtutis etque sapientiae viam esse & directum eum pietatis & religionis tum humanitatis & laudis in hac vita comparanda iter &c. In Narrat. de typismo Hessi A. 3. b.

d) Xenophon in Cyropædia Lib. I. p. m. 4. οἱ παιδεῖς εἰς τὰ διδασκαλεῖα
Ποτάντες, διέγεισι μαθαίνοντες διδαστόντες &c.

e) Confer. Id. de Rep. Laced. p. 650. b. Ed. Hal.

f) Libro III. Confessionum.

est, ut ejus pectus dici queat, neque adeo obscura est, ut non multo potius lectoribus Ciceronianis ipsa quoque sit admirationi: sed nobilissimus Ciceronis animus latet sub illo pectore, qui pertinacissimum honestatis, per se appetendæ, studium spirat semper, hoc vivit, hoc alitur & nutritur, quique omni oratoris Romani sermone ita expressus & explicatus est, ut lectoris animum suavissimo virtutis sensu perfundat, teneat, neque a se dimittat, nisi ita, ut Ciceronis quam simillimus esse, id est, virtutes ejus cupiat imitari. Ita enim ipsa forma rotaque compositio orationis in optimis autoribus tam perpicua tamque frequentia habet virtutis vestigia, ut non solum oratio certissimus animorum pulcherrimorum sit index, sed etiam in lectoribus non malis fecundissima g) honestatis semina relinquit. Ego, si lego Suetonii Octavium, tanto sane benignitatis studio & ardore accendor, ut omnibus hominibus quam plurimum benefacere exoptem. Contra legens Tacitum, proh Deum immortalem! quanto flagro odio omnis calliditatis & crudelitatis Tiberianæ? Ecquis autem unquam a Livii lectio-ne ita recessit, quin tenerimo amore in animum Romanum; id est magnum & elatum, virtutis pertinaciam & parsimoniam antiquam: caperetur & ferretur? Ita enim nobis licet penetrare in nobilissima pectora illa, tantorumque animorum arcanos introspicere recessus, quos si oculis cerneremus, admirabiles & sui & honestatis amores excitarent. Et si enim omnino verum est, orationem sua sponte res ipsas sequi, de quibus dicunt; eamque ob rem ipsa rerum, quas legimus, consideratio in animis nostris tantopere efficax videri potest: tamen hic sane plurimum refert, non solum, quid quisque dicat, sed etiam, quis dicat & qualis ejus sit animus & voluntas. Quemadmodum enim ipsa conuentidine & congressibus crebris discimus, etiam inviti, amicorum mores imitari: ita perpetua lectione autorum classicorum, quos dicunt, stimuli

g) Ita Augustinus de lesto ab se Ciceronis Hortensio l. c. ille vero liber mutavit affectum meum, & ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas & vota ac desideria mea facit alia; viluit mihi repente omnis vana spes & immortalitatem sapientiae concupiscebam, æstu cordis incredibili, & surgere jam cœperam, ut ad te redirem: non enim ad accudam linguam referbam illum librum, neque mihi locutionem, sed, quod loquebatur, persuadebat. Quomodo ardebam, Deus meus? Quomodo ardebam evolare a terrenis ad te? &c.

stimuli virtutis ut animis teneris imprimantur & infigantur necesse est. Inde enim humanitatis studia nomen suum acceperunt & ut idem nomen tam præclarum porro nesciantur, sane operam doctores dare debent. Quæ quam sit difficultas, quamque diurna, non rur optime illi, qui virtutis doctrinam profitentur. Sed, ut illud quoque attingamus, quod harum literarum proprium est, nec facile quisquam illis abjudicabit: tandem etiam Latinitatis studia docent eloquentiam, quæ quidem longius patet quam videretur plerisque. Namque de hoc studio nimis leviter existimant illi, qui vel ejus utilitatem oratoria virtute terminari putant, vel in Latina lingua tantum reperiri arbitrantur. Cum enim pauci oratores sufficiant, neque omnium oratio elegans aut speciosa esse debeat: nemo tamen recte ad rem publicam accedere potest, nisi idem teneat saltēm disertā atque dilticidē & illustris orationis rationem. Hæc enim non solum cuiusque linguae propria & ap̄issima querit verba, sed etiam sententias non vulgaribus neque levibus concinna est, ut & ea, quæ exponuntur, prudenter cogitata, & eorum, qui audiunt vel legunt, intelligentie animisque penetrandis operari datam esse, appareat. Ex quo sit, ut cum singulorum verborum delectus, tum junctorum comprehensio talis requiratur, quæ non minus omnia, quæ animo concepimus, solleite distinguat, quam toru[m] orationis corpus apte coereat & concludat. Quæ cum ita sint, equidem me meosque sepe soleo consolari, si, paucis Latinam eloquentiam necessariam, adhuc paucioribus imo vix uni & alteri singulis seculis datum esse, comperimus. Enimvero cum eloquentia res omnes, de quibus dicendum scribendum est, suo ambitu complectatur & comprehendat, ut est apud Ciceronem de oratore; tum vero dicendi precepta omnium linguarum sunt communia. Quæ si ab autoribus Latinis potissimum petuntur, illud sit propere; non, quod a Gracis vel nonnullis Gallis aut Germanis aut aliarum gentium disertissimis scriptoribus fortasse non similiter disci possint: sed, quia Romana lingua virotum doctorum & omnis doctrina jam pridem propria facta est, & perfectissima exempla in omni dicendi genere suppeditat. Itaque sit, ut eadem precepta dicendi, quæ in Latinis autoribus ostendimus,

discipulus aliis in vernacula, alias in multis linguis simul, exprimere posuit & sequi, hic in illo, iste in hoc dicendi genere, unus in historia, alter in epistolis scribendis, tertius alia ratione quacunque, quam vita futura genus postular, adhibeat atque usurpet. Evidem divinus factum existimo, ut Latinae linguae studium maxime in scholis secessemur, quoniam nulla alia tantas tamque praelaras facile habet commoditates. Quo in genere maximum esse arbitror, quod una gens Romana clarissima omnium omnisque virtutis exempla, & documenta habuit, quae omnia, una cum illius gentis lingua, juvenilibus animis ad imitandum propopuntur, commendantur recte & inculcantur. Quodsi vero haec omnia, quae de humanioribus literis abs me disputata sunt, animo complectamur: nonne videmus, hoc unum studium & propter linguae ipsius difficultatem & rerum quamplurimarum utilium cognitione & virtutis disciplina & propter eloquentiae doctrinam, tam amplum tam praelarum tam denique operosum esse, ut, si complures annos sibi depositat, illam temporis aetoram, si talis dicenda est, merito refarcire & pulcherrimis fructibus compensare judicetur? Sed video, nimis verbo sumaut saltem copiosum me fuisse de primo difficultatis genere. Itaque, quod fuit alterum, cum de studiorum scholasticorum ambitu dicere hujusque rei causas indicare & ex historiae fontibus haurire constituisse; de origine quidem & progressibus scholasticæ doctrinae dicam alias: jam vero uno intuitu saltem considereretur velim longissimus artium nostrarum circulus. Quis nescit scholarum publicarum, quae ab academiis distinguuntur, studia, initio literarum instauratarum, fere lectionis Latinae & Graece, Oratorie & Dialeticae limitibus fuisse comprehensa. Sed qualis nunc est scholarum facies? Accessit Germanica & eloquentia & poësis, cuius utriusque doctrinam defugere non possumus, in primis ex quo tempore Christianus Weisius suum exemplum suo seculo tam splendide comprobavit. Historia & sacra & civilis sua utilitate pridem ita se commendavit, ut utriusque scientie initia non satis cito doceri queant. Seculi genius nobis injunxit studia Mathematica & historiam literatam & linguas orientales. Iniquitate temporum factum est & amplissimo Gallicæ linguae usu, ut a discipulorum parentibus

tibus haec quoque lingua maxime necessaria judicetur. Cumque tot
ramque diversis studiis jam satis distrahanter & doctorum & discenti-
um animi: tamen adhuc amplior philosophicarum scientiarum doctri-
na exigitur a nobis & quasi jure suo postulatur. Profecto longe aliis,
longe auctioribus, terminis scholastica studia leges Saxonicae circum-
scripsere. h) Cumque celeberrimae schola fuerint Sturmiana i) & Tro-
cendorfiana k) utraque satis declarat, prius seculum illud, quod adeo
favit humanitatis studiis, iis artium bonarum principiis contenta fuisse,
qua paulo ante indicavi. Sed feramus impositum onus, modo
eidem simus pares. Verum ut jani declarem, cuius rei causa maxime
haec disputationem: quid in tanta Latinitatis difficultate tamque ample
studiorum nostrorum cursu tandem fieri, cum videmus, quo plus tem-
poris studia scholastica requirant, eo magis illud juvenum cupiditate
coactari? Qui, licentiae academicæ aut prepostero gloriae studio
abrepti, parum nostras respiciunt querelas, preces, gemitus, sed sibi
ducunt honori, cruda studia propellere in academiam. Etsi autem
nolo nomen meum in eorum numero profiteri, qui, ut soli sapere
videantur, omni occasione arrepta, irruentem barbariem inculsan-
tamen iterum & ter consideretur velim, quod vir & nobilitate gene-
ris & doctrina laude florentissimus Carolovicius l) nullam propio-
rem, nullam veriorem literarum, in illo barbaro seu scholastico ævo
neglectarum, causam fuisse judicavit, quam quod juvenes nimis cito
ad altiora illa Theologiae, Juris & Medicinæ studia properarent. In-
que

b) T. II. Codicis Augustei p. 583. & p. 554.

i) Extant leges scholæ Sturmianæ Tom. I. Instit. Liter. Strobændianaæ.

k) Videatur ejus descriptio T. V. Scriptor. Viteberg. p. 829.

l) Quantus tandem, ait, & quam perniciosus ille putandus est error, quod fere
pueri, antequam grammaticas rationes probe didicerunt, alii ad Medicinæ
studium, alii ad Jus Civile, alii ad sacras literas aut detruduntur aut irruunt?
Ego quidem certe sic sentio, ut hanc præcipuam & prope unam causam
esse statuam, cuius vitio accidat, ut hodie tam pauci præstantibus ingenis
adolescentes ad aliquam studiorum suorum frugem perveniant. Servavit
epistolam Caroloviū Jac. Burckardus T. II. p. 509. ff. de lingue Lat. in
Germania fatis.

que cum duo juvenes, quos & ingenium & morum modestia facile
nobis comprobavit,

CHRISTIANUS FISCHERUS,
Torgoviensis, &

JO. GODOFREDUS ZIMMERMANNUS,
Ilenburgensis,

a nobis discessuri, publice, orationibus habitis, Musis nostris consti-
tuissent vale dicere; ille autem de scholarum publicarum commo-
dis, hic de earundem incommodis verba facere decrevissent: nolui
prætermittere hanc occasionem, quin de studiorum scholasticorum
dignitate, ambitu & difficultate hæc præferer, ut appareat, quænam
utilitates ab illis possint expectari, si ordinè tractentur, & quæ e
contrario incommoda illos maneat, qui in bonis artibus discendis
malunt festinare, quam utiliter hærere. Illud vero mirum in tanta
studiorum scholasticorum difficultate, tamen tot scholas, tot eorum
doctores magno numero reperi. Atque hæc causa est, quare di-
scipulus diligentissimus

JO. GOTTLÖB WERNERUS,
Korgützschensis Misnicus.

duobus commilitonibus abitum gratulabundus, de multitudinis scho-
larum commodis & incommodis ipse quoque dicere instituerit.
Horum trium juvenum orationes uti eras, sacris publicis finitis, inde
a dimidio horæ nonæ matutinæ patroni & amici Lycei nostri pér-
benevole audire, & sua præsentia, nobis tam honorifica, suum quo-
que in literarum studia amorem demonstrare velint, & perofficiose
rogō; & hujus beneficii memorem me semper fore, confir-
mo. Dedi Torgaviae d. XX. Aprilis A. O. R.

○ 15 CC XXXVIII.

AB:155056

VD 18

ULB Halle
003 085 112

3



TA → SL
nur 75 Blatt /

VDT7

R

DE
A LINGVA
DIUTIUS
CENDA
RELAM
MINAT

ET
NES JUVENILES
I. APRILIS
I OCCXXXVIII
LE AUDIENDAS
VITAT
. REINHARDUS
RECTOR

GAVIAE
ERSELLIANIS

B.I.G.
Black

3/Color

Black

Farbkarte #13

Centimetres

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

Blue

Black